

Salūtandī formulae

In primō congressū

Salvē, ere! *Respōnsum*: Ohe, salvē tū quoque, bone vir!

Salvē, vir ornātissime, clārissime.

Salvē, etiam atque etiam, litterārum decus!

Salvē, mī amīce, mī frāter, mea māter, mī pater...!

Salvē, ūnicum huius aetātis ōrnāmentum!

Salvēte pariter omnēs!

Salvēte, bellī homunculī!

Salvē multum, amīce!

Salvē iterum atque iterum!

Respōnsum: Et tū salvē in perpetuum!

Salvēre te iubeō. Salvum tē esse iubeō.

Āve, praeceptor!

Vōs quoque salvēte, discipulī!

Valē, in digressū

Valēte omnēs!

Bene valē!

Iubeō tē bene valēre.

Iam mē tempus aliō vocat, valē!

Prōsperē valē!

Valētō, amīce, quam optimē! Valētōte, amīcī, quam optimē!

Rēctissimē valē, tum corpore, tum animō! *Respōnsum*: Valē tū quoque!

Valētūdō

- Valētūdō, quae esse potest?

Respōnsum: Homō sānus bonam, aeger vērō malam valētūdinem habet.

Valētūdō aut bona aut mala aut mediocris esse potest.

- Ut valēs? Quōmodo te habēs? Quā valētūdine es?

Respōnsum: Bene valeō; bene mē habeō; bonā valētūdine sum. Male valeō;

male mē habeō; malā valētūdine sum. Mediocriter valeō; mediocriter

mē habeō; mediocrī valētūdine sum.

Estō, amīce, optimā valētūdine! Estōte, amīcī, optimā valētūdine!

Quōmodo salūtāre convenit...

...intranēs.

erus -ī *m* = dominus

ōrnātus, a, um < ōrnāre

decus -ōris *n* = ōrnāmentum -ī *n*

ūnicus, a, um = ūnus et sōlus

aetās -ātis *f*: saeculum -ī *n*

pariter (*adv*) = aequē (*adv*)

aequē (*adv*) < aequus

bellus, a, um = pulcher

homunculus -ī *m* = parvus homō

et tū = tū quoque, etiam tū

in perpetuum = semper, sine fine

praeceptor -ōris *m* = magister

...discēdentēs.

aliō (*adv*) = in alium locum

prōsper, a, um = fēlīx, secundus

prōsperē (*adv*) < prōsper

optimē (*sup. adv.*) < bene

valētō! valētōte! = valē! valēte!

rēctissimē (*sup. adv.*) : rēctissimō modō

tum...tum : et...et

animus -ī *m* : mēns mentis *f*

valētūdō -inis *f* < valēre

mediocris, e = neque bonus neque malus

bene valēre = bene sē habēre, bonā

valētūdine esse

mediocriter (*adv*) < mediocris, e

estō! estōte! = es! este!

optimus, a, um (*sup. adi*) < bonus

Percontandī forma

Persōnae: Georgius, Livīnus

Ge. Salvē multum, Livīne!

Li. Salvē tū quoque, Georgī!

Ge. Valēsne?

Li. Contemplāre vultum!

Ge. Quīn potius lōtium iubēs? An mē putās medicum? Medicī enim lōtium aegrōtantium contemplārī solent. Nōn rogō, qui valeās; nam faciēs ipsa loquitur, tē bellē valēre: sed quōmodo tibi placeās.

Li. Corpus bellē habet, sed animō male est.

Ge. At nōn valet, quī hāc parte labōrat.

Li. Sīc rēs habent meae: corpus valet, sed aegrōtat crumēna.

Ge. Quid? Quid hoc est? Quid hoc sibi vult?

Li. Nōnne intelligis? Num crumēna tua semper bene nummāta est?

Ge. Rēctē dīcis et ego iam intellegō; sed istī morbō māter facile medērī potest. Praeter crumēnae morbum, quomodo tē habēs?

Li. Variē, ut sunt rēs mortālium.

Ge. Satin' rēctē valēs? Salvane rēs? Satin' salvae rēs?

Li. Ego semper bellissimē valeō; bonā valētūdine sum, optimā, faustā, incolumī, felīcī, prōsperā, secundā, integrā, basilīcā, athlētīcā, pancrāticā valētūdine. Bene valeō; hoc est magnum Deī beneficium. Magnum est Deī beneficium, quod bene valeō.

Ge. Laetus hoc audiō. Sermōnem hunc ex tē audīre suprā modum gaudeō.

Laetor, hoc audīre ex tē. Tibi grātulor, mihi gaudeō. Verba tua grāta mihi sunt. Magnam grātiā ā superīs accipis, sī semper bene valēs.

Quōmodo cēterōs de vītā et valētūdine interrogāre convenit?

contemplārī = intuerī, spectāre
vultus -ūs *m* = faciēs
quīn = cūr nōn
...lōtium -ī *n* (contemplāre)?
aquam bibimus, lōtium terrae reddimus
...medicum (esse)?
rogō, qui valeās... quomodo tibi placeās? = rogō: "Qui = quōmodo valēs? Quōmodo tibi placēs?"
rēs pulchrae hominibus placent, foedae vērō displicent
corpus bellē (sē) habet

hāc parte (corporis) = animō

sīc = hōc modō
crumēna -ae *f*: locus, in quō pecūnia pōnitur; crumēnam hominēs sēcum portant

cr. bene nummāta = plēna nummōrum

facile (*adv*): facilī modō
medērī (+ *dat*) = sānāre

variē (*adv*): prīmō diē bene, alterō diē male, etc.
mortālis -is *m pl*: quī morī potest
mortālēs -ium *m pl*: hominēs
ut sunt rēs *m*. = ut rēs *m*. habent satin'...? = satisne...?
satin' salvae rēs (tuae sunt)?
faustā, incolumī, ..., pancrāticā *syn*

beneficium -ī *n* (< bene + facere)



sermō -ōnis *m* = id quod dīcitur, verba audīre alqd. ex aliquō

grātulārī (+ *dat*) ↔ cōsolārī

grātus, a, um = quī placet
grātia -ae *f* = beneficium, rēs grāta
superīs: iīs, quī in caelō sunt

<p>Ge. Nihilne molestum tibi accidit?</p> <p>Li. Nihil, nisi quod cum amīcīs esse mihi nōn licet.</p> <p>Ge. Quō pactō valēs?</p> <p>Li. Ego pulchrē valeō, sī tū valēs.</p> <p>Li. Rēctē, pulchrē, bellē, perbellē, bellissimē, perpulchrē, fēliciter, optimē, commodē, minimē male.</p> <p><i>Male valēre</i></p> <p>Ge. Rēctēne valēs?</p> <p>Li. Nōn ex sententiā. Ego utcunque valeō. Sīc satis. Valeō ut possum, quāndō, ut volō, nōn licet. Valeō, ut soleō. Ita, ut semper, certē nōn rēctissimē. Valeō, ut solent, quibus, cum medicīs rēs est.</p> <p>Ge. Quā valētūdine es?</p> <p>Li: Haud sānē commodā, incommodā, infēlicī, parum prōsperā, parum secundā, malā, adversā, īfaustā, mediocrī, vix mediocrī.</p> <p>Ge: Esne prōsperā valētūdine?</p> <p>Li: Hāc in rē incertus sum; de hāc rē dubitō; itaque valētūdinem meam dubiam esse putō.</p>	<p>molestus, a, um = is quī nōn dēlectat</p> <p>quō pactō = quō modō</p> <p>fēliciter (<i>adv</i>) < fēlix perbellē (<i>adv</i>) : bellissimē (<i>adv</i>) perpulchrē (<i>adv</i>) : pulcherrimē (<i>adv</i>)</p> <p>ex sententiā : sīc, ut volō utcunque : mediocriter ut soleō : ut semper ita = sīc certē (<i>adv</i>) < certus quibus cum medicīs rēs est : quibus necesse est medicōs arcessere et ā medicīs sānārī</p> <p>haud (+ <i>adv, adi</i>) = nōn sānē = certē commodus, a, um : is quī dēlectat incommodus ↔ commodus adversus ↔ secundus parum prōspera : haud prōspera</p> <p>dubitāre = incertus esse (dē)</p> <p>dubius, a, um : is de quō dubitātur, nōn bonus</p>
--	---


Arma Rōmāna



In oppidīs Rōmānīs multa aedificia sunt; mīlitēs autem Rōmānī nōn in oppidīs, sed in castrīs quadrātīs habitant, circum castra vāllum aedificant, terram fodiunt et ita fossam faciunt; in castrīs eōrum nōn solum tabernācula, in quibus habitant, sed etiam arma et tēla eōrum videntur. Arma sunt galea et scūtum et lōrīca – mīles Rōmānus galeam in capite, scūtum in sinistrā manū, lōrīcam in pectore gerere solet. Tēla sunt hasta et gladius et iaculum. Mīles Rōmānus iaculum acūtum procul iacit, hastam longam prōtendit, sagittās mittit. Cum pugnāre vult, gladium stringit eōque pugnat.

Mīlitēs Rōmānī scūtīs oblongīs, Gallī vērō clipeīs rotundīs sē dēfendunt. Sī puer Britannus pugnāre vult, neque tēla neque arma habet, sed pūgnōs tantum. Pūgnus et brachium membra sunt; alia membra sunt collum, tergum, nāsus, oculī, genae, lingua, mentum, labra, digitī, umerī.

aedificium –ī *n* : templum, porta, vīlla
sunt aedificia


castra quadrāta 

terram fodere, fodiō
fossa –ae *f* < fodere

tabernāculum –ī *n*
tēlum –ī *n*


galea –ae *f*

lōrīca –ae *f*

iaculum –ī *n* = pīlum, quod procul
iacitur
acūtus, a, um 

gladium stringere
eō : gladiō

scūtum oblongum 

clipeus –ī *n* = scūtum rotundum 

mentum –ī *n* infrā ōs invenitur